Annus XV. December 1901. N. 12.

# EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

## S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA INEDITA

### I.

*S. Ioseph, Sponsus B. M. V., Patronus Ecclesiae Catholicae declaratur, eiusque festum ad ritum dupl. 1 class. elevatur.*

### URBIS ET ORBIS.

Quemadmodum Deus Iosephum illum a Iacob Patriarcha progenitum praepositum constituerat universae terrae Aegypti, ut populo frumenta servaret, ita temporum plenitudine adventante, cum Filium suum Unigenitum mundi Salvatorem in terram missurus esset, alium selegit Iosephum, cuius ille primus typum gesserat, quemque fecit Dominum et Principem domus ac possessionis suae, principaliumque thesaurorum suorum custodem elegit. Siquidem desponsatam sibi habuit Immaculatam Virginem Mariam, ex qua de Spiritu Sancto natus est Dominus Noster Iesus Christus, qui apud homines putari dignatus filius Ioseph, illique subditus fuit. Et quem tot reges ac prophetae videre exoptaverant, iste Ioseph non tantum vidit, sed

cum eo conversatus, eumque paterno affectu complexus, deosculatusque est, nec non solertissime enutrivit, quem populus fidelis uti panem de coelo descensum sumeret, ad vitam aeternam consequendam. Ob sublimem hanc dignitatem, quam Deus fidelissimo huic servo suo contulit, semper beatissimum Iosephum, post Deiparam Virginem eius Sponsam, Ecclesia summo honore ac laudibus prosequuta est, eiusdemque interventum in rebus anxiis imploravit. Verum, quum tristissimis hisce temporibus Ecclesia ipsa ab hostibus undique insectata adeo gravioribus opprimatur calamitatibus, ut impii homines portas inferi adversus eam tandem praevalere autumarent, ideo Venerabiles universi Orbis catholici Sacrorum Antistites suas ac Christifidelium eorum curae concreditorum preces Summo Pontifici porrexerunt, quibus petebant, ut Sanctum Iosephum Ecclesiae Patronum constituere dignaretur. Deinde, quum in Sacra Oecumenica Synodo Vaticana easdem postulationes et vota enixius renovassent, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, nuperrima ac luctuosa rerum conditione commotus, ut potentissimo sancti Patriarchae Iosephi patrocinio se ac fideles omnes committeret, Sacrorum Antistitum votis satisfacere voluit, eumque Ecclesiae Catholicae Patronum solemniter declaravit, illiusque festum, die decimanona Martii occurrens, in posterum sub ritu duplici primae classis, attamen sine octava ratione Quadragesimae, celebrari mandavit. Disposuit insuper, ut hac die, Deiparae Virgini Immaculatae ac castissimi Iosephi

Sponsae sacra, huiusmodi declaratio per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum publici iuris fieret. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die VIII Decembris anni 1870.

C. Episcopus Ostien. et Veliternen, Card. PATRIZI.

L. ✠ S. S. R. C. *Praef.*

D. Bartolini, S. R. C. *Secretarius.*

## II.

*P. Ministro Generali Ordinis Minorum Capulatorum tribuitur facultas benedicendi et imponendi Scapulare S. Ioseph Sp. B. M. V., et ad hoc alios Sacerdotes delegandi.*

## ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

Ex quo cultus fidelium erga sanctum Iosephum Deiparae Sponsum et Catholicae Ecclesiae Patronum in sacra Liturgia auctus fuit, pius usus benedicendi ac deferendi Scapulare in eius honorem, annuentibus et opitulantibus Sacrorum Antistitibus, invaluit, praesertim in Galliis atque Helvetiorum et Belgarum regionibus. Quum vero ad illius propagationem Alumni Ordinis Minorum Sancti Francisci Capulatorum in memoratis regionibus iugi studio adlaboraverint, hinc R.mus P. Fr. Bruno a Pintia Procurator ac Definitor Generalis totius Ordinis, ab Apostolica Sede humillimis datis precibus efflagitavit ; ut R.mo P. Ministro Generali pro tem-

pore Ordinis ipsius tribueretur facultas benedicendi, atque utriusque sexus Fidelibus imponendi praedictum Scapulare, cum potestate ad huiusmodi Scapularis benedictionem et impositionem Sacerdotes sive saeculares sive regulares delegandi.

Quibus precibus ab E.mo et R.mo D.no Cardinali Raphaele Monaco la Valletta, Episcopo Ostiensi et Veliternensi, Causae Ponente, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato relatis, E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, ac audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Pro gratia, si Sanctissimo placuerit,* verum sub conditione, ut color et forma praefati Scapularis sit eadem ac illa, quae iam obtinet in Dioecesi Veronensi, et pro benedictione et impositione eiusdem Scapularis adhibeatur formula huic Decreto praevia (1). Die 15 Aprilis 1893.

Facta postmodum de his, per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, SS.mo D.no nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 18 iisdem mense et anno.

L. ✠ S.

Cai. Card. ALOISI-MASELLA,
S. R. C., *Praef.*
VINCENTIUS NUSSI, *Secr.*

(1) V. Rituale Roman., in Appendice.

## DECRETA NOVISSIMA

### I.

1. *In publicis et sacris processionibus nequeunt mulieres incedere inter Confraternitates et Clerum.*

2. *Possunt sequi statuam, et canere quando Clerus tacet, in processione tantum et extra Ecclesiam.*

### VALVEN. ET SULMONEN.

Hodiernus Pro-Vicarius Generalis R.mi D.ni Episcopi Valven. et Sulmonen., de consensu sui Antistitis, Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exposuit, aliquibus in locis, in publicis et sacris processionibus, post Confraternitates laicales, proprium saccum indutas, incedere quamplurimas mulieres, iuvenculas praesertim, binas, canentes carmina vernacula lingua, et postea clerum. Hinc idem R.mus Orator sequentia proposuit dubia solvenda; nimirum:

I. An huiusmodi usus permitti possit?

II. Et quatenus negative ad primum, an saltem possit permitti, ut mulieres incedant immediate post statuam B. Mariae Virginis vel alicuius Sancti, et canant quando clerus tacet?

Et Sacrae adem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum esse censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative* ad primam partem, et *Af-*

*firmative* etiam ad secundam in processione tantum et non intra Ecclesiam.

Atque ita rescripsit, die 29 Novembris 1901.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praef.*

✝ D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## II.

1. *Missa votiva de S. Corde Iesu, prima feria VI Ianuarii, occurrente in Vigilia Epiphaniae, celebrari nequit.*

2. *Stola cum pluviali non est assumenda ab Hebdomadario Vesperas celebrante coram Ss.mo Sacramento, eo quod illud incensare debeat ad Magnificat.*

3. *Color rosaceus Dominicis III Adv. et IV Quad. adhiberi potest etiam in Missis privatis et in Officio.*

## VALLIS VIDONIS.

R.mus D.nus Henricus Sauvé, Canonicus et Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Vallis Vidonis, de consensu R.mi sui Episcopi, humillime petiit, ut a Sacra Rituum Congregatione insequentia dubia benigne solvantur, et nimirum:

I. Utrum Missa votiva de Sacro Corde Iesu, per decretum *Urbis et Orbis*, diei 28 Iunii 1889, indulta, dici possit Feria VI, quae prima in Ianuario mense occurrit, quando in illam diem incidit Vigilia Epiphaniae?

II. Utrum in Vesperis coram SS. Sacramento exposito cantatis debeat Hebdomadarius a principio induere stolam, ratione incensationis SS. Sacramenti ad *Magnificat* faciendae; et quatenus negative, utrum debeat saltem ad *Magnificat?*

III. Utrum Dominica III Adventus, et Dominica IV Quadragesimae paramenta coloris rosacei

adhiberi possint non tantum in Missa solemni, sed etiam in Missis privatis et in Officio de Dominica?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. Stetur Rubricis et Decretis.

Ad III. *Affirmative* (1).

Atque ita rescripsit, die 29 Novembris 1901.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, S. R. C., *Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## III.

*Litaniae Lauretanae cantari possunt per trinas invocationes, populo quartam respondente.*

## DUBIUM.

A Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum est: Utrum in sacris functionibus, quae ut plurimum horis vespertinis fiunt in Ecclesiis vel Oratoriis publicis cum expositione Ss.mi Eucharistiae Sacramenti, liceat, uti mos est antiquus in pluribus Ecclesiis etiam Urbis, cantare Litanias B. M. V. Lauretanas per trinas invocationes, respondente quartam fideli plebe; atque ita ex ordine explere ultimam Invocationem *Regina Sacratissimi Rosarii, Ora pro nobis?*

(1) Res tamdiu controversa inter liturgicos scriptores, tandem auctoritative definitam, gaudere nobis liceat, nostram sententiam, quae hoc ipso anno (*fascic. 2, pag. 98 et segg.*) sostinuimus, supremam hoc decreto adeptam esse sanctionem. *Redactio.*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae respondendum esse censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 6 Decembris 1901.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praef.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## IV.

*Minister Missae cum cantu assistens, iuxta decret.* **3377**, *debet esse in Sacris, si debeat etiam Calicem abstergere.*

## PLOCEN.

R.mus D.nus Episcopus Plocensis Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium, pro opportuna solutione, humillime proposuit, super ministro, qui, iuxta decretum **3377**, *Baionen.*, 25 Septembris 1875, in Missis cum cantu sine ministris folia vertit, Calicem discooperit, ipsumque mundat, vinum et aquam infundit, eumdemque Calicem infra actionem palla cooperit et discooperit, iuxta opportunitatem, nec non ipsum tergit post Communionem suisque ornamentis instruit, nimirum: Utrum iste minister debeat esse in Sacris constitutus?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: " *Affirmative*, si debeat etiam Calicem abstergere. "

Atque ita rescripsit, die 6 Decembris 1901.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, S. R. C. *Praef.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

# QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

## XII.

### De Indumentis Abbatum.

Nereus Presbyter et quadam in Ecclesia caeremoniarum magister, cum diversandi causa in civitate B. plures dies transegisset, templum quoddam fortuito ingressus est, in quo solemnia Titularis Ecclesiae agebantur. Miratus est autem videns duo genuflexoria, ante altare maius, rubeo panno cooperta cum pulvinaribus, et Ordinarium Episcopum loci gratiarum actionem pro Missa facientem in uno; in altero vero quemdam Monachorum Abbatem Rochetto et Mozetta amictum, qui pariter celebraverat. Paulo vero post, duos alios vidit introeuntes Abbates eadem ratione indutos, quorum alter, uti accepit, solemniorem erat facturus Missam Pontificalem, qui et caudata induebatur veste, more episcopali: alii autem duo praesentes forent in choro, tunc Episcopo absente. Nereus curiositate motus, hac illac abiens, ut paramenta pro Missa observaret, vidit in Abaco, praeter alia, sandalia et caligas ex textili serico, quae non competere Abbati iudicabat. Super mensa autem videre potuit chirothecas acu

pictas. Crucem pectoralem cum una gemma, quam aurea catena sustentabat: item unam quoque, parvam licet, gemmam in annulo, ac denique duas Mitras, simplicem a latere Epistolae, a parte Evangelii pretiosam. Quibus singulis mussandi causam praebentibus Nereo, studio adiiciens animum, haec inquirit:

1. *Utrum, generice loquendo, Rochettum et Mozetta Abbatibus Monachorum competant, vel quibusdam tantum, seu ex iure, seu ex privilegio, et num, iure vel privilegio dato, deferre illa liceat coram Ordinario?*

2. *Quodnam discrimen, circa indumenta, Decretorum lex statuat inter Pontificalia Episcopi et Pontificalia Abbatis? et peculiariter quid de talari cum cauda, aureaque catena dicendum?*

3. *An merito conquestus fuerit Nereus in singulis, quae censura notavit, necne, ut in casu exponitur?*

## SOLUTIO

**Ex dissertatione Rev. Dom.** Ioannis Antonii Cossu, **Can. honorar. Ecclesiae Cathedralis Algarensis (Sardin.), habita in S. Aede Congreg. Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 10 Iulii 1901, acta epitome per R.mum Dom. CAROLUM RESPIGHI Apost. Caerem. Magistrum.**

Cum in casus expositione de omnibus fere sermo sit indumentis, quae a Reverendissimis Episcopis, necnon ab aliis ecclesiasticis viris, qui Pontificalium iure gaudent, adhiberi possunt, sive cum praelatitio, ut dicitur, formalitatis induuntur habitu, sive cum sacris ornantur paramentis ad Pontificalia peragenda, operis pretium esset de singulis aliquid dicere; sed quia iam in praecedentibus huius amplissimi coetus conventibus satis ac competenter de iis actum sit, ne eandem

arripiamus viam, opportunum ducimus aliquid tantum innuere de nomine, officio ac iuribus Abbatum, quatenus ad rem nostram pertinet, ut exinde facilius ad singulas quaestiones respondeamus.

Dicimus imprimis, vocem *Abbas* etymologice ex hebraico vocabulo *Abba* originem ducere, quo significatur *Pater;* sub hoc autem nomine aliquos comprehendi regularium Ordinum Superiores, qui iurisdictionem exercent in locis et personis, ut plurimum, monasteriis sive Ecclesiis, vel sub Ordinariorum dependentia, vel sub immediata Apostolicae Sedis subiectione. Hi porro sub nomine veniunt Praelatorum inferiorum, eo quod charactere et dignitate episcopali carent, quamvis in pluribus ipsis Episcopis assimilentur. Ex his nonnulli circumscripta fruuntur iurisdictione, infra limites nempe alicuius Ecclesiae aut Monasterii, in personas illis addictas, et vocantur *Abbates simplices.* Alii autem iurisdictionem exercent etiam extra Ecclesiae et monasterii limites, et clero populoque praesunt infra determinatum territorium, hoc tamen comprehenso infra limites alicuius dioeceseos, et hi sub nomine veniunt *Abbàtum quasi-nullius*, qui videlicet ita sunt infra dioecesis limites, ut tamen de ipsa esse non censeantur. Alii tandem non modo praerogativa gaudent clerum populumque subiectum habendi ab illo distinctum, qui Episcopo subiicitur, sed eorum territorium omnino distinctum et seiunctum est ab eo, quod alicui pertinet dioecesi, et quasi aliam efformat ex se dioecesim; hi sunt *Abbates* vocati *nullius*, scilicet nulli Episcopo subiecti, aut nulla in dioecesi comprehensi.

Cum in casu nominetur Episcopus loci Ordinarius dicendum, hic non agi nisi de Abbatibus primae speciei; hinc de iuribus Abbatum episcopalem, vel quasi, iurisdictionem habentium silebimus, qui ceterum maiores habere possunt et habent praerogativas, quam reliqui.

1. Utrum, generice loquendo, Rochettum et Mozetta Ab-

batibus Monachorum competant, vel quibusdam tantum, seu ex iure, seu ex privilegio, et num, iure vel privilegio dato, deferre illa liceat coram Ordinario?

Rochettum et mozetta, indumenta, quibus distinguuntur maiores Praelati, *ex iure* non competunt Praelatis inferioribus, si coniunctim considerentur; etenim si disiunctim, dicendum rochettum vetitum esse tantum Praelatis inferioribus, qui sunt ex Ordinibus Regularibus (Alexandri VII decr. n. 1131 *ad 9).* Exceptio tamen datur pro Ordinibus Regularibus, qui ex Instituti indole hoc habitu utuntur, ut sunt Canonici Regulares Lateranenses SS.mi Salvatoris, qui, ex more rochetti continue gestandi, vulgo in Italia *Rocchettini* sunt appellati.

Hi profecto comprehendi dici nequeunt in generali decreto Alexandri VII, cum inconveniens potius iudicandum foret, quod, dum in sacris obeundis functionibus, ceter Ordinis alumni rochetto induuntur, illud dimittere debeant Superiores, quod ceterum in Constitutionibus peculiaribus a S. Sede approbatis cautum est.

Mozetta de iure maioribus Praelatis competit, unde concludendum, Abbatibus non convenire, nisi positive ex aliquo documento constet de peculiari facultate.

Et sane, cum habitus monasticus non sit ex se aptus ad tale indumentum superferendum, generatim excludendum esset; sed superveniente peculiari indulto, tunc habitus immutaretur et more Praelatorum superiorum conficeretur. Secus dicendum est de Abbatibus Canonicorum Regularium Lateranensium, qui cum vestes gestent ad formam illarum, quae in clero saeculari usuveniunt, eo ipso quo Praelati efficiuntur, respondentem dignitati habitum gestare valent, quod per constitutiones legitime approbatas cohonestatur.

Posito autem iure vel privilegio mozettae deferendae, distinctio semper in eo esse debet, quod non liceat Abbati eam absque mantelletto deferre in locis propriae iurisdictioni non subiectis. Dicimus absque mantelletto, quia Regu-

lares ad cardinalatum seu ad episcopatum assumpti habitum praelatitium semper cum mozetta gestare solent, ex eo, dicitur, quod rochetti iure non gaudent, et proinde mozetta brachia cooperiunt; sed parvum haec ratio videtur habere valorem, quia tam Canonici Regulares, quam privilegiati, ad rochettum deferendum mozettam non dimittunt ubi cessat iurisdictio, sed supra mantellettum aeque retinent. Atque ita se gerunt Abbates mozettae usum habentes, si in iurisdictione, mozettam tantum assumunt, si extra, cum illa et mantellettum.

Hinc profluit responsio ad alteram quaesitus partem, an videlicet coram Ordinario sit Abbatibus facultas rochetti et mozettae induendi. Patet, non esse rochettum, posito illius usu, discoopertum, nempe cum sola mozetta, in casu, gestandum in locis Ordinario subiectis, quia hoc iurisdictionis significationem importat; nihil tamen obstat quominus mantelletto coopertum deferatur, superinduta mozetta, ex superius allatis rationibus. Quod valet et de mozetta, secluso rochetto, sive quod illius non habeatur usus, sive quod aliqua vice absque eo incedendum sit.

Hoc autem ex paritate rationum probatur, imo a fortiori, ex lege qua tenentur R.mi Episcopi, ne extra locum propriae iurisdictionis rochettum cum sola mozetta possint gestare; quinimo nec valeant, praesente proprio Metropolitano et Cardinali Legato; *ubi* enim *est maior cessat minor.*

Hoc autem sensu intelligendum est decretum S. R. Cong.nis datum die 1 Octobris 1701, in *Fesulana*, n. **2080**, ad 4; cum enim propositum fuerit dubium: " An Abbas loci (Monasterii S. Bartholomaei Congregationis Lateranensis) possit, praesente Ordinario, rochettum induere et mozettam deferre, aliisque Abbatibus exteris ita se induendi concedere facultatem? „ responsum fuit: " Affirmative „.

II. Quodnam discrimen, circa indumenta, decretorum lex statuat inter Pontificalia Episcopi et Pontificalia Ab-

batis; et peculiariter quid de talari cum cauda, aureaque catena dicendum?

Decreta, quae Abbates respiciunt, circa indumenta, quibus illi uti possunt in Pontificalium celebratione, eadem sunt ac illa, quae pro cunctis Praelatis inferioribus (quos inter Protonotarii non recensentur, hi enim propriis fruuntur privilegiis) lata sunt, iubente Alexandro VII, et de quo iam superius nonnulla excepimus. Antiquiora, data a S. R. Cong.ne sub diebus 28 Ianuarii 1606, in *Firmana*, et 18 Martii 1617 in *Neapolitana*, praetermittimus, quippe quae in illo posteriori et generali contenta. S. R. Cong.tio *omnia simul cogere constituit*, quae Praelatis inferioribus pertinent, ut *excessus abolerentur;* hinc concludendum, privilegiatos ad Pontificalia, his, more Pontificum, posse uti, in iis omnibus, quae hoc decreto non prohibentur vel limitibus non constringuntur, et proinde regulam debere sumere ex Caeremoniali Episcoporum, quousque cum Decreti dispositionibus non pugnet.

Hoc posito principio, salva laudabili et universali consuetudine, quae legis vim habere est dicenda, indumentis utendi minus pretiosae materiae, quam sit illa, qua utuntur Episcopi, Abbates singulis uti possunt, quae a praefato Caeremoniali indicantur, hoc cum discrimine: 1.° Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant. Sub Mitra pileolum nigri tantum coloris induant *(Ibid. n. 8).* „ 2. " Regulares rochettum non deferant, nisi ex tali ordine fuerint, qui indumentum huiusmodi competat *(Ibid. n. 9).* „ 3. " In Ordinationibus Canonicorum Clericorum, Monachorum, nec non in vestitionibus Monialium, et emissione professionis earundem etiam pleno iure sibi subiectarum, in benedictione sacrae suppellectilis, ceterisque actibus (Missarum, Vesperarum, Matutinarum solemniis ter tantum in anno, ut praefertur, exceptis) neque in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque locis tam publicis quam privatis,

quantumvis exemptis, eisdemque Abbatibus pleno iure subiectis mitram, baculum et quaevis alia Pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione, adhibeant *(Ibid. n. 17)*. „ 4. " In Missis privatis, quoad indumenta,.... a simplici Sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in sacristia, neque utantur Cruce pectorali *(Ibid. n. 21)*. „ Ad fruendum autem Pontificalium privilegio, necesse est, ut Abbates sint *perpetui* et *benedicti*.

Indultum Abbatibus Congregationis Cassinensium a S. R. Congr.ne concessum, ut Mitra tantum utantur in actu *Ordinationum et benedictionum cum sacro Oleo (20 Iulii 1660. n.* **1163**, *ad § 17*), non videtur suffragari ceteris aliarum Congregationum seu Ordinum Abbatibus; nonnulli tamen affirmant, ex ratione communicationis privilegiorum, ex qua pariter admittunt, posse Abbatem unius loci, alterum invitare ad Pontificalia peragenda in sua Ecclesia, ex decreto n. **2080**, iam citato, ad 3, lato pro Abbatibus Canonicorum Regularium Cong.nis Lateranensis; sed, prout videtur, dummodo eiusdem sint Ordinis, et non fiat ultra tres indultos dies; hoc sensu interpretato, quoad hoc, Decreto Alexandri VII, et alio, ultimo citato, ad §. 10.

Consuetudo iamdudum invaluit, ut praelatitius habitus caudatam vestem secumferat, quod si in Caeremoniali fundamentum non habet, eo quod caudam Cappae tantummodo illud consideret, cohonestatur tamen a pluribus S. R. Cong.nis Decretis. Sed cum sermo est de Praelatis Regularibus, non illico dici potest ipsis tale indumenti genus pertinere. Si de Canonicis Regularibus v. g. Lateranensibus fiat quaestio, nulla videtur adduci posse dubitatio, quin illam gestare valeant, cum enim vestem Cleri saecularis more adhibeant, sicuti quando ad episcopatum provehuntur, vestes immutant nullo retento Ordinis signo, quod, pro ceteris Ordinum Regularium alumnis, remanet in colore, et in textilis sericei exclusione, ita ad praelaturam assumpti,

utique praelatitium habitum formae saecularium assumere valent. Quoad praxim, scimus, Abbatem generalem praefati Ordinis, semper et ubique, caudatam vestem praelatitiam gestare, ceteros autem extra Urbem tantum; quam differentiam, non videmus cur fuerit inducta; non videtur enim iniuria inferri nec Summo Pontifici, nec ceteris Praelatis Urbanis si cauda deferatur, prout nulla fit ab Episcopis aliisque praelatis etiam inferioribus, qui coram illis eiusmodi habitum induunt. Quod vero Abbates respicit Ordinum monasticorum, res aliter se habet, cum enim habitum specialis formae gestent, nec ad illud additamentum aptum se praebeat, nonnisi ex peculiari privilegio, quod aliquibus daretur, habitum immutandi, caudatam talarem gestarent.

De catenae aureae usu pro Cruce pectorali sustentanda, nisi quis dicere velit minus religiosae paupertati convenire (quid si esset aurea nonnisi ad visum, reipsa autem valore cordula et flocco inferior?), non videmus quomodo alicuius momenti institui valeat quaestio. Iam inter superiores Praelatos usus invaluit, et quidem etiam Romae, nemine contradicente, cordulae substituendi catenulam, pro Cruce sustinenda, etiam cum inter sacra paramenta est assumenda, quod cum inordinationem nullam pariat, non est dicendum consuetudinem esse reprobabilem. Dicet aliquis tunc non servari distinctionem intra superiores et inferiores Praelatos; at respondemus hoc esse ornamenti genus non palam gestandum, ex lege, sed absconditum sub paramentis, et hoc inter sacra, extra vero, nullimode a lege praescribi; ergo...

III. An merito conquestus fuerit Nereus in singulis, quae censura notavit necne, ut in casu exponitur?

Respondemus breviter, Nereum merito conquestum fuisse de genuflexoriis rubeo panno coopertis, cum hic color nonnisi S. R. E. Cardinalibus conveniat. An vero Abbati conveniat, saltem alio panno coopertum, distinguendum videtur quia, si in loco iurisdictionis extitisset, ac ad orandum para-

tum, saltem cum ad Pontificalium solemnia accederet, non negandum videretur, cum quid minus censendum sit ipso Throno, qui hoc in casu Abbati debetur (1); at praeter haec rerum adiuncta, ut in casu, secus dicendum.

Quoad indumenta, distinguendum pariter iuxta superius dicta, sive quoad locum, sive quoad formam habitus.

Caudatam vestem Abbatis, etsi pontificalia peracturi, iam vidimus, non pro omnibus debere admitti. De Abbatibus cum rochetto et mozetta choro interessentibus, unum iam novimus immerito, secluso privilegio, iis indumentis ornatum, de altero dicendum cum distinctione, ut supra.

Sandalia et caligae nullimode vetantur Abbati Pontificalia Missarum celebranti, et immerito conquestus est Nereus de textili, quo confecta erant, quia sericum, si permittitur Protonotariis, eo magis permissum est dicendum Abbatibus Pontificalium usum habentibus.

Chirothecae acu pictae non permittuntur Protonotariis, sed non constat de simili prohibitione pro ceteris superioribus Praelatis, quamvis inferiores sint Episcopis, ex iam adductis superius argumentis: proindeque mussandi causa Nereo aufertur.

Crux pectoralis cum gemma et catena aurea toleranda nobis videntur, ex antea pariter dictis; vetitum Protonotariorum, non est extendendum ad alios magis privilegiatos.

Pro parva quoque gemma annuli abbatialis admirationem Nereus est passus; sed eum praeteriit, Pontificale Romanum gemmam in annulo abbatiali considerare, nec precipere, ut haec sit minor episcopali.

(1) Adducunt nonnulli in contrarium decretum S. R. Cong. in *Pennen. (22 Martii 1710)*, n. **2201**, ad 2, quo dicitur: Abbati pro tempore Collegiatae S. Petri Terrae Laureti non licere in functionibus canonicalibus et ecclesiasticis uti genuflexorio cum stratu et pulvinari. Sed perpendendum est, non constare agi hic de Abbate perpetuo et benedicto, sed de Dignitate capituli, et non esse sermonem de Pontificalibus functionibus obeundis.

De mitra pretiosa poterat Nereus conqueri usquedum certior evasisset de carentia privilegii Abbatis pontificalia peracturi; sed posito etiam privilegio, incongrue altera mitra, nempe simplex, parabatur, namque haec locum haberet ad substituendam auriphrygiatam, quae Abbatibus mitratis iure competit, dum haec sua vice substituit pretiosam, cuius quis usum habet, infra sacram actionem.

# INSTRUCTIO CLEMENTINA

## PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

**NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA**

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

*(Continuatio; v. n. 11, pag. 662.)*

Post Pauli V ampliorem iampridem factam concessionem (Brevi d. d. *10 Maii 1606),* et Pii IX nuperam declarationem (Rescr. S. C. Indulgent. d. *26 Novemb. 1876),* non amplius opus est, uti a Clemente VIII statutum fuerat, ut Oratio in visitatione per *unius saltem horae* spatium producatur, sed sufficiens est devota quaeque etiam brevis mora.

Insuper, ex decreto S. Congreg. Indulgentiarum, d. d. 30 Iunii 1818, Pius VII concessit in perpetuum Indulgentiam *centum dierum,* defunctis quoque applicabilem, ab iis lucrandam, qui ad signum horarum, per campanam Ecclesiae, in qua locum habet expositio, dari solitum, iaculatoriam precem recitant: *Laudes et gratiarum actiones sint unoquoque momento Sanctissimo ac divinissimo Sacramento* (Sia lodato e ringraziato ogni momento il santissimo e divinissimo Sacramento) (1).

Extant Romae canonice erectae duae Piae Sodalitates, quarum finis est adoratio SS.mi Sacramenti in forma XL

(1) Haec item Indulgentia, sub iisdem conditionibus, conceditur, exposito Ss.mo Sacramento etiam alia de ratione, prout et ad signum campanarum, quod datur pro benedictione cum almo Sacramento indicanda (*Decr. cit.*).

horarum expositi. Altera *adorationi diurnae* (1) provehendae incumbit, altera *nocturnae* (2); utrique, cui Sacerdotes adsciscuntur et laici, mulieres tamen primae tantum, plura alia concessa sunt privilegia et Indulgentiae, quorum hic meminisse iuvabit.

Sacerdotibus *Adorationi diurnae* adscriptis datur facultas: 1° Anticipandi, quovis anni tempore, *Vesperas* et *Completorium* ante meridiem, dummodo id fiat infra horam adorationis. — 2° Anticipandi, quovis pariter anni tempore, *Matutinum* cum *Laudibus* ab hora decimaquarta praecedentis diei. — 3° Impertiendi infirmis morti proximis *Benedictionem Apostolicam in articulo mortis.* — 4° *Altaris privilegiati* personalis, semel in hebdomada, et quoties pro consociatis defunctis Missam celebrabunt (*Ex audientia SS.mi diei 5 Iunii 1884*).

Singulis autem sociis conceditur, *omnes*, quas lucrari valent, *Indulgentias* applicare posse animabus fidelium defunctorum (*Ex ead. audient.*).

Sacerdotibus *Adorationi nocturnae* adscitis, ex Rescripto E.mi Cardinalis Urbis Vicarii, d. d. 19 Ianuarii 1889, SS.mus D. N. Leo Pp. XIII privilegium benigne largitus est: 1° Ut oneri Matutini cum Laudibus diei, iuxta ordinem proprii calendarii, satisfacere valeant, recitatione Matutini cum Laudibus SS.mi Sacramenti, quae solet qualibet in vi-

(1) Pia Sodalitas *Adorationis diurnae* Romae erecta fuit, die 29 Maii 1884. — Penes *Parochos Urbanos* nomina excipiuntur, illi se aggregare cupientium.

(2) Archiconfraternitas *Adorationis nocturnae* in Urbe instituta fuit mense Novembri 1810, sub forma Piae Societatis, et ab E.mo Cardinali Urbis Vicario, die 23 Decembris 1815, canonice erecta; tandem a Summo Pontifice Leone XII, die 24 Aprilis 1824, in Archiconfraternitatem evecta est, *cum facultate quascunque alias eiusdem instituti Confraternitates, ubique terrarum canonice institutas, aggregandi*, eisque Indulgentias, facultates ac alias spirituales gratias et Indulta communicandi. — Inscriptiones excipiuntur in Archisodalitatis Secretaria: *Vicolo Sinibaldi N. 1* — **Roma.**

gilia nocturna expleri. — 2° Ut, si qui ad chorale servitium tenentur, tam in Patriarchalibus, quam in Collegiatis, pro horis antemeridianis vigilias noctis subsequentibus, ab eodem servitio eximantur, dummodo non occurrat dies dominica, aut aliud festum de praecepto.

Ex decreto E.mi Cardinalis S. R. Cong.ni Praefecti d. d. 16 Iulii 1814, Summus Pontifex Pius Pp. VII, concessit Confratribus, sive Sacerdotibus sive laicis, in nocturnis vigiliis ante SS.mum Sacramentum, ad orandum designatis, ianuis clausis, ingredi posse Ecclesiarum Presbyterium seu chorum, etiam in privato habitu; et, ex Rescripto 11 Iulii 1815, caput, frigoris causa, nigro pileolo cooperire.

Altaria omnia, in quibus Missae pro Confratribus defunctis celebrari solent, sunt privilegiata (Rescr. Pii Pp. VII, *6 Augusti 1814*).

Ex Rescripto autem S. R. Cong.nis, diei 12 Septemb. 1898, ad quinquennium valituro (ideoque non communicabili) indulsit, ut Sacerdos, qui primam vigiliam peregit, Sacrum facere possit *prima hora cum dimidio* a medietate noctis, per octo menses, a Septembri ad Aprilem inclusive, de cetero autem hora *secunda* (iuxta simile Rescriptum diei 9 Maii eiusd. anni), etiam in Altari expositionis, quando unum tantum extat in Ecclesia. Ceteris vero Confratribus, ut ad Sacram Synaxim accedere possint, eadem hora, etiam extra Missam, si haec locum non habet.

Indulgentiae plurimae, praeter communes, *plenariae* et *partiales*, inter quae et *stationales*, iisdem Sodalitatibus concessae sunt, quarum elenchus in aggregationis diplomate describitur.

Dubitatio tamen, nec parvi momenti, nunc exurgit, quaenam in nostra Instructione ad substantiam pertinere sunt censenda?

Versatur Instructio, primo, circa Orationis durationem

et perpetuitatem. Secundo,circa solemnitatem obiectivam seu materialem expositionis Ss.mi. Tertio, circa formalem solemnitatem, sive modum rituum et caeremoniarum concomitantium. Quarto, circa speciales normas a Superioribus Ecclesiarum, a clero et a laicorum societatibus, imo et a quibuscumque fidelibus servandas.

Quod primum respicit, id ex romano more, a Clemente VIII, Constitutione *Graves et diuturnae,* diei 25 Novemb. 1592, sancito, solemne habetur, quod, non modo Orationis continuitas per quadraginta horarum spatium intendatur, sed et insuper Orationis per anni circulum in civitate perennitas, atque adeo, ut Oratio in una Ecclesia non absolvatur, nisi postquam incoeperit in alia (Instruct. § XXIX).

Quae duae conditiones, si ulla absque difficultate in magnis civitatibus verificari possunt, nemo non videt quam difficiliter, secunda saltem, pluribus in locis adimpleri valeant, prorsus impossibiles vero in aliis evadant. Hinc est, quod vel certis tantummodo statutis per annum temporibus locum habeat Oratio; vel quadraginta horae de die tantum numerentur, recondito noctu almo Sacramento; vel instituta potius inveniatur *Adoratio perpetua,* quae in hoc consistit, ut per unum tantum integrum diem SS.mum Sacramentum in aliqua Ecclesia dioecesis adoretur, adsignatis per singulas horas diei noctisque adoratoribus, et, statim ac in una Ecclesia adoratio desinit, incipiat in altera; quam institutionem Clemens XIII anno 1765 adprobavit, specialibusque Indulgentiis locupletavit.

Quidquid tamen sit de Ecclesiarum usu, haec dicere possumus: altera conditio, de perpetuitate nempe Orationis per annum, non videtur necessaria, ne in ambitu quidem dioecesis; de hoc enim silent auctores, nec ullum id urget decretum, nec ceterum inficiari valet, sic substantialiter Orationem *quadraginta horarum* reipsa haberi. Imo nullimode id obstare patet ex decreto S. R. C. in *Cadurcen.*

n. **3049**, iam citato, in quo praecise sermo est de Oratione semel in anno fieri solita. Prima tamen necessaria omnino iudicanda est; hoc vero probatur, sive ex ipsa ratione intrinseca institutionis, quippe quae ex temporis mensura specialem notam, seu characteristicam, ut dicitur, induit; sive ex implicita S. Sedis declaratione, quae, cum alicubi huic conditioni minime attendi posset, *ex privilegio*, concedere dignata est, ut nocturnis horis expositio et adoratio suspenderetur, uti factum est in favorem Provinciarum Americae foederatae, per S. C. de Propaganda Fide, die 24 Ianuar. 1868. Haec itidem conditio absolute necessaria edicitur in Caeremoniali Romano-Seraphico, ad usum Fratrum Minorum Capuccinorum a S. Sede adprobato.

Extensio Indulgentiarum (non autem aliorum privilegiorum) a Benedicto XIV facta, die 16 Aprilis 1746, Constitutione *Accepimus*, ut scilicet lucrari possent, *etiamsi Sacramentum Eucharistiae per horas quadraginta continuas gravissimis de causis minime prostet,* non amplius vigere dicenda est, post SS. D. N. Leonis PP. XIII suprarelatam declarationem.

Quod secundum attinet, adeo intrinseca est Orationi XL horarum solemnitas seu pompa in expositione SS.mi Sacramenti, ut si aliter fieret, non modo primo institutionis conceptui adversaretur, sed et sensui communiter recepto contradiceret. Compertum siquidem est, causam institutionis huius Orationis fuisse, cum supremum honorem Christo in admirabili Sacramento deferendum, tum gravissimas Ecclesiae necessitates, quae profecto per se solemnitatem important. Unde necessario, in casu, requiritur solemnis SS.mi Sacramenti expositio, sacra nempe Hostia patenter sub throno collocata, cum accessorio analogo apparatu.

Tertio autem, nullimode ambigendum, obiectivam et materialem solemnitatem debere formali consociari; quaestio esse potest de maiori minorive actuum solemnitate, haud sem-

per aequaliter, considerato Ecclesiarum censu et cleri copia, accomodanda, sed substantialiter quaedam solemnitas requiritur. Nemo quidem sanae mentis diceret, tam fructuosam occasionem repudiari debere, eo quod, v. gr., unus tantum Parochus habeatur in loco.

Quarto demum, plura sane observanda iubentur in Clementina Instructione, et quidem ad unguem: *inviolabiliter*, ac sub poenarum comminatione. Hic vero animadvertendum est, sub praecepto pro Ecclesiis extra Urbem non omnia cadere, sed ea dumtaxat, quae generalia sunt, et ad essentiam pertinent cultus divinae Eucharistiae debiti, et non modo occasione Orationis XL horarum, verum, quatenus pro diversis rerum adiunctis opus est, etiam in aliis functionibus, potissimum autem, quae cum expositione SS.mi peraguntur. Hinc discrimen disciplinae inter Urbis et reliquas Orbis Ecclesias; ibi singula praeceptivam habent vim, alibi aliqua praeceptivam, sed non vi Instructionis, aliqua vero directivam tantum, salvo Ordinariorum iure, ea sub praecepto imponendi, quae magis in Domino sibi expedire videntur. Attamen, qualitercumque dicantur praecepta obligare, sive sub gravi, sive sub levi, et adhuc sub poenarum sanctione, nisi sub forma imponantur conditionis *sine qua non*, non omnia iurium amissionem pariunt, si inobservata maneant. Cum igitur in casu nostro nulla apposita inveniatur conditio *sine qua non*, restat, ut, praeter ea, de quibus supra dictum est, videlicet de durationе Orationis, et de solemnitate materiali et formali eiusdem, ex reliquis praeceptis, ea tantum ad substantiam pertinere sint retinenda, quae principaliora iudicari debent, qualia facile videntur esse: Missa solemnis, aut saltem cantata, in expositione et in repositione, Processio (1) et Litaniae Sanctorum.

(1) Redit argumentum *ex privilegio* desumptum, item a S. Cong. de Propag. Fide Americae foeder. concesso, die iam citata, quo *permittitur*, ut Processio omittatur, *prudenti pastoris iudicio*.

His addere non dubitamus, ad effectum de quo agimus, Orationem huiusmodi instituendam esse exclusive *pro necessitatibus universae Ecclesiae, iuxta piam mentem Summorum Pontificum.* Data quippe censeri debent privilegia et Indulgentiae istis sub clausulis; quod evidenter eruitur ex Constitutionibus et reliquis mandatis Pontificum eorumdem, ac praecipue Clementis VIII, Clementis XI, Innocentii XIII, Benedicti XIII et Clementis XII.

Hisce praenotatis, quod necessarium duximus ad stabiliendum, quibus et quatenus faveat *Instructio* nostra, hanc breviori calamo dilucidandam arripimus, nostro sic obsequio Ven. Consociatos, quantum in viribus est, prosequentes, qui a nobis hanc elucubrationem tam comiter exquisiere.

Huius Instructionis cum nobis datum non sit latinum textum authenticum invenire, versiones, quas ex italico authentico exemplari privata pluries edidit auctoritas (V. VAN DER STAPPEN, *S. Liturgia, Tom. IV, Par. 1, Tit. IV, Sec. II, Append. III;* — BIBLIOTECA CATTOLICA. *Neap. 1855, S. R. C. Decreta authentica, Append., ad voc.* " *Instructio Clementina* „), quippe quas iam publici iuris factas, generatim sequemur, nonnihil tamen interdum moderaturi, ut penitius sensus italici contextus apprehendatur (1).

I. B. M. c. M.

(*Continuabitur*).

